



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 2. Quantitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

## §. 4. De Moreâ, seu Peloponneso.

## NVM. 1. Nomen Moreæ.

Mopézi à Græcis appellatur, *Morea* à Latinis, in genere masculino vt obseruauit Leunclauius. Hoc nomen accepit à Moris arboribus, quæ hîc frequentissimæ visuntur. Tzaconia autem, & Romania à quibusdam toti huic regioni concessa, nomina sunt Prouinciarum, & hoc etiam vniuersæ Græciæ vt præmonuimus.

## NVM. 2. Quantitas Moreæ.

*Latitudo* eius ab Hexamilo ad Tænarium Pro. *le Cap. Cailles ou Metapan*, est 2. graduum cum dimidio, ideo 150. mil. pass. leuc. Franc. 75. Germ. 37. cum dimidia.

*Longitudo* à Pro. Torneseo *Cap. Tornese*, ad Pro. Scylleum *Cabo Schillo* 3. graduum maioris circuli, ideo 180. mil. pas. leucarum Franc. 90. German. 45.

## NVM. 3. Qualitas Moreæ.

FERTILIS est, & amœna, nisi in medio vbi montibus tumet: & sicet vbique colles assurgant, vallibus tamen pensatur editior ille situs. Vnde quaque alluitur mari, quod ad Malea Pro. *Cabo Malio* in primis vorticofum est, ventis atrocissimis obnoxium, qui sæpe mutantur derepente non sine nauarum periculo. Tzaconia est paulò sterilior, sed quia incolæ liberi, & expertes Ottomanicæ seruitutis, nihil hîc ad victum deest; reliqua enim quibus carent piratica sufficit, & prædæ quas abigunt ex Insulis.

## NVM. 4. Mores Tzacorum, seu Mainotarum.

MAINOTÆ, seu Tzacones, habentur à reliquis Moreæ populis Barbari; & licet Græcum ritum profiteantur sunt tamen Turcis, quàm Christianis similiores. Decem millia armatorum educunt, tenues copias, sed expeditissimas, & quæ adhuc à Turcis debellari non potuere; dum fugiunt peritissimè & certissimè sagittas vibrant. Nullam grandiore nauem ad portus appellere patiuntur, sed minora tantum nauigia, & lintres, quibuscum pelles, lanas, adipem, & vina permutant. Hostiles naues quotquot capiunt præscindunt, & inflammant, & suis piraticis actuariolis Insulas ditionis Turcicæ fatigant, atque diripiunt. Melius cum Venetis